



1747.

Greger, Dr. Carol. Henr. : *De Differentiis juris Romani  
et Germanici in archiepiscopatu*

1748.

1. Dorn, Amandus Christianus : *De pactis Natalibus, super  
bonis acquisitis tantum contractis, abque proximo  
in cognatorum consensu jure Hamburgensi vali-  
dis.*
2. Dorn, Amandus Christianus, *Ord. jur. profecturus* :  
*Programma : „ De paroemia : „ Nathecht bricht Land-  
rechts, Landrecht bricht gemeine Rechte“, dissertationi  
inang. Petri Holtzmanus praemissum.*
3. Dorn, Amandus Christianus : *De testamentis feminarum  
Hamburgensium.*
4. Dorn, Amandus Christianus, *Ord. jur. profecturus* :  
*Programma : „ De cura minorum per testamentum  
vel arctata vel prorogata“, dissertationi inaug.  
Christophori Lipskopii praemissum.*

1748.

5. Dreyer, Thom. Carolus Hens.: De tenamine concordie inter litigantes optime minuentiarum litem remedio.

1749.

1. Shunius, Ferd. Gollub.: De effecta erroris in contractu emptionis. 2 Saapl.
2. Shunius, Ferd. Gollub.: De libero arbitrio iuridico.

1750.

1. Dorn, Amantio Christianus.: De interese synonimorum in foro.
2. Dreyer, Dr. Carolus Hens.: De restricta facultate alie mandandi bona hereditaria, ad hereditaria mobilia non pertinente, jure Germanico, Holsatico et Libero.

1751.

1. Dorn, Amantio Christianus.: De revocatione alienationis jura superioritatis territorialis et



regalium propter errorem invalidae.

2. Dreyer, Carolus Haereticus: De formula receptionis juris Lubicensis ejusque indole forensi in civitatibus

Holsatiae, Meletema I

3. Dreyer, Carolus Haereticus: De variis eodum juris Germanici denominationibus.

4. Dreyer, Jo. Carolus Haereticus: De obsequio juris Europaei Meletema II et: Vigersda et Berzenetta in Holsatiae non casule. Meletema III

5. Dreyer, Jo. Carolus Haereticus: Specimen privilegiorum apud ipsum, falso meritoque respectorum.

6. Grolmannus, Melchior Dettmarus: De necessaria a Chimariis voluntatum praeelectione. Rec. 1772.

7. Lactmannus, Adamus Haereticus: Num pontifex Romanus episcopis Danicis ac Slesvicensibus usum pallii concederet? 2

1761.

8. *Shuweis*, *Finken* *Gedicht*: *Ne representatione per  
sonae adhuc viventes.*



4.

DISSERTATIO JURIDICA 1750,1

DE

10

INTERESSE  
SYNONIMORUM  
IN FORO,

P 495

QVAM

D. O. M. A.

SECUNDUM

CONSTITUTIONEM FRIDERICIANAM,

PRÆSIDE

AMANDO CHRISTIANO DORN, D.

CÆSAREÆ CELSITUDINIS, MAGNI DUCIS ET IMPERII RUTHENICI HEREDIS IN CANCELLARIA DUCALI SLESVICO-HOLSATICA CONSILIARIO JUSTITIÆ, JURIS CANONICI ATQVE CIVILIS ROMANI PROFESSORE ORDINARIO, H. T. FACULTATIS JURIDICÆ DECANO,

IN ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA


D. XXV. JUL. ANNI MDCCL.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

HENNING. FRIDERICUS SEELHORST,

HOLSATUS.

KILÆ HOLSATORUM, LITTERIS GOTTF. BARTSCHII,  
ACAD. TYPOGR.





DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
INTERESSE  
SYNONIMORUM  
IN FORO.

GRAM

D. O. M. A.

SECUNDUM

CONSTITUTIONEM FRIDERICIANAM

ART. 11

ALIANO CHRISTIANO BORN, D.

IN ACADÉMIA CHRISTIANA-BERTINA  
PUBLICIS JURISCONSULTORUM  
MAGISTRO


IN ACADÉMIA CHRISTIANA-BERTINA

ART. 11

HEINRICH FRIEDRICH VON HORST

1784

IN ACADÉMIA CHRISTIANA-BERTINA  
PUBLICIS JURISCONSULTORUM  
MAGISTRO





DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
INTERESSE SYNONIMORUM  
IN FORO.

---

- §. I. *Et olim & hodie magna cautione circa electionem vocabulorum in foro opus.*
- §. II. *Inprimis 1) circa donationem inter vivos & mortis causa.*
- §. III. *Adeo ut etiam pro donatione m. c. sit habendum, quando mortalitatis, tanquam causa impulsiva, fit mentio.*
- §. IV. *Notatur error Ludovici.*
- §. V. *Recensentur alie donationum formulae dubiae.*
- §. VI. *Notatur error alius JCtorum Hallensium circa formulam donationis m. c.*
- §. VII. *2) circa legatum liberationis quoad quaestionem: utrum transeat ad heredes?*
- §. VIII. *item 3) quoad repetitionem ejus, quod testator a debitore sponte oblatum, accepit.*
- §. IX. *4) circa transmissionem legati ad heredes, mortuo ante testatorem legatario.*
- §. X. *5) circa clausulam testamenti privatoriam.*
- §. XI. *6) circa relinquendam legitimam.*
- §. XII. *7) circa heredem gravatum sub conditione: si sine liberis decesserit.*
- §. XIII. *8) circa substitutionis directa & fideicommissariae formulas.*
- §. XIV.



- §. XIV. 9) circa conjunctionem heredum vel legatariorum;  
 §. XV. 10) circa legatum modale;  
 §. XVI. 11) circa legata collegiis & corporibus relicta.  
 §. XVII. 12) circa prohibitionem collationis.  
 §. XVIII. Nec non 13) circa alias ultimarum voluntatum dis-  
 positiones.  
 §. XIX. 14) Circa novationem tam quoad mercedes famulorum.  
 §. XX. quam 15) quoad alia debita privilegiata.  
 §. XXI. nec non 16) quoad solutionem particularem quantitatis  
 diverso tempore credita.  
 §. XXII. 17) circa correalem obligationem.  
 §. XXIII. 18) circa additionem in diem quoad ipsam conditio-  
 nem, &  
 §. XXIV. 19) quoad verba directa & obliqua.  
 §. XXV. 20) circa pactum de retrovendendo.  
 §. XXVI. 21) circa legem Commissariam.  
 §. XXVII. 22) circa privilegia quoad questionem an possint re-  
 vocari?  
 §. XXVIII. 23) Nec non circa notam characteristicam privile-  
 gii realis & personalis.  
 §. XXIX. aequae ac 24) Ad quosnam personale transit heredes, si  
 alicui & ejus heredibus sit datum.  
 §. XXX. 25) circa verba quibus hypotheca promittitur.  
 §. XXXI. 26) circa sententiam in criminalibus absolutoriam.  
 §. XXXII. Conclusio dissertationis.





§. I.



ERBA VALENT SICUT NUMMI, Et olim & Grammatico potius quam Jcto digna vox hodie magna cautio-  
 est. ULPIANUM nunquam ita locutum ne circa electionem  
 audivimus, ejusdem tamen posteri dicere vocabulo-  
 confueverunt, raro prudenter, ut pluri-  
 mum inepte. Spuriis nimirum id est ignorantiae asyllum, rum in fo-  
 quantum interfit, neciis. Legitimi saltem, ne inutili lo- ro opus.

gomaticiæ studentes audiant, utuntur. Quousque igitur singularis vocabuli phraeosque vis atque effectus doceri potest, Synonimum grammaticæ tale substituendum non erit, ne mutato vocabulo indoles totius negotii cum magno alterius dispendio immutetur. Hinc olim non ignorabat Latium præcones actionum, formularum cantores, syllabarum aucupes. Legibus enim XII tabularum latis legis quoque actiones componebantur, quæ erant certæ solennesque formulæ, quibus tum voluntariæ tum contentiosæ jurisdictionis actus explicarentur ex ratione civilis prudentiæ impulsiva, ne populus, prout vellet, actiones institueret. (a) Quare notanter CICERO pro Q. Roscio

A Comedo

(a) l. 2. §. 6. ff. de O. J. Formulas has legis actionum & reliquas a Romanis in variis negotiis adhibitas incredibili plane industria collegit BARNABAS BRISSONIUS in libris de formulis & solennibus populi Romani verbis.



Comedo differit: *Sunt jura, sunt formulae, de omnibus rebus constituta, ne quis aut in genere injuriae, aut ratione actionis errare possit. Expresse sunt enim ex unius cujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria, publicae a Praetore formulae, ad quas privata lis accommodatur.* Eodem modo in idem placitum conventionem plurium ad leges certas, verborumque solennitatem ita quandoque restrinxerunt veteres, ut formam praescriptam negligenti actio denegaretur. Revera enim stipulatio pactum erat formularium, cui, si solennitatem verborum detrahas, nudum est. (b) Abusus autem, qui tantus accesserat, ut causa caderet, qui vel in syllaba formulae errasset, (c) sustulit usum. Solemnitatem siquidem verborum in stipulatione olim usitatam, postea autem in constitutione Leonina sublatam testatur §. 1. *Inst. de verb. oblig.* Legis autem actionibus finem demum imposuit lator legis 1. *C. de form. & impetrat. act. sublat.* scrupulosas juris formulas aucupatione Syllabarum insidiantes cunctorum actibus radicitus amputans. Quae licet ita sint, ad nostra tamen usque tempora hic certe permansit usus, ut juxta l. 2. *C. de form. & impetr. act. subl.* aptam rei & negotio competentem actionem, petitionem exceptionemve litigantes proponant. Hujus vero rei fundamentum cum sit sollicita vocabulorum electio, nostrorum autem temporum malitia in tantum excreverit, ut vix ullum instrumentum a Viris jurium etiam peritissimis concipi possit, cui non dolosa Rabularum machinatio insidias struere con-

(b) J. H. BOEHMERUS *de action. sect. 2. c. 7. §. 6.* F. U. PESTEL *de pactis nudis.* J. A. SPISIUS *de Vi nudorum pactorum.* L. A. HAMBERGER *de Non usu stipulat. in Germania.*

(c) J. BRANDES *de vera & simulata JCtorum philosoph. c. 6. §. 137 sqq.*



conetur, vel juxta LUTHERUM (d) *Daß es mit dem Rechte dahin gekommen, daß niemand sich gerne ins Recht begiebet, wenn er gleich so helle gute Sache hat, als die Sonne im hellen Mittage klar ist*, cujus mali causam præcipuam debemus rationi Advocatorum philosophandi libere in conscribendis contractuum instrumentis, conficiendis ultimis voluntatibus, & perorandis in foro causis, operam nos non lufuros esse inutilem credidimus, si legi in hac Alma præscriptæ a Serenissimo quondam Duce FRIEDERICO obtemperaturi disputatione quadam Academica probare allaboraremus, quanta circumspectione opus sit in eligendis vocabulis, quantumque in foro intersit inter Synonyma, sive unicam respiciant vocem, sive totam verborum seriem.

## §. II.

Sit ergo donatio mortis causa, quam dicimus actum <sup>Inprimis 1)</sup> beneficium, quo alteri rem quandam sub mentione mortali- <sup>circa dona-</sup> tatis damus, dissertationis nostræ principium. Quæ utrum <sup>tionem in-</sup> ad ultimas voluntates accedat, an naturam donationis inter <sup>ter vivos &</sup> vivos habeat? nemo non ex *l. fin. C. de donat. mort. caus.* <sup>mortis cau-</sup> quod ad ultimas voluntates sit referenda, affirmante novit. <sup>sa.</sup> Quibusnam interim verbis donatio inter vivos fiat vel mortis causa, instituti ratio postulat, ut inquiremus, ne, cum ob conceptionem verborum donatio mortis causa transeat in donationem inter vivos, testator jus revocandi amittat, quod ipsi in donatione mortis causa semper salvum est (e), & propter defectum requisitorum donationis inter vivos pereat donatio, quam donans voluit esse mortis causa, verum verba, quæ sunt adhibita, commutarunt in donationem

A 2

nem

(d) LUTHERUS T. VII. Jen. fol. 443.

(e) *l. 27. ff. de donatione mortis causa.*



nem inter vivos, & vice versa. Inferunt nimirum hæc verba: *Nach meinem Tode, item wenn ich sterbe, soll Primus 1000 Rthl. als ein Geschenk von mir haben*, donationem mortis causa, sive in genere mentio fuerit facta mortalitatis, sive intuitu præsentis periculi, *sollte ich in dieser Kranckheit die Augen zuthun müssen (per definitionem)* (f), nisi de contraria donantis voluntate constet, ejusmodi addentis conditiones, quæ naturæ donationis inter vivos tantum conveniunt, indoli e contra donationis mortis causa refragantur (g). Aliter vero se res habet in formula: *Primo schencke ich 1000 Rthl., so er nach meinem Tode haben soll*, utpote quæ donationem inter vivos involvit (h). Est scilicet hæc juris nostri ratio, ut, quando vel in una eademque propositione & ipsius dispositionis & ejus modificationis fit mentio vel modificatio in diversa propositione præcedit dispositionem, hæc dispositio principalis ex additamento sit dijudicanda (i), cum e contra, si dispositionem ipsam in separato commate subsequitur adjectum additamentum, hoc non ingrediatur, neque mutet essentiam dispositionis, quæ in separata propositione præcessit, & jam perfecta est atque absoluta, priusquam additamenti fit mentio (k). Et hoc quidem illud est, quod,

(f) l. 2. ff. de donat. mort. caus.

(g) l. 27. ff. de donat. mort. caus., cui non ob stare l. 13. §. 1. ff. de donat. m. causa docuerunt BRANCHU in observ. ad Jus Rom. Dec. I. C. 4. & ARN. VINNIUS sel. quest. L. 2. C. 34.

(h) HILLIGER ad DONELL. L. 14. C. 33. lit. C. S. STRYCK in caut. contr. sect. 3. C. 9. §. 10.

(i) l. 5. ff. de tritico, vino & oleo. l. 8. §. 2. ff. de legat. 2. l. 13. & l. 59. §. 2. ff. de hered. instit.

(k) l. 12. ff. de aliment. legat. l. 13. ff. de tritico, vino & oleo. l. 27. §. 2. ff. de legat. 3. l. 5. C. quand. dies legat.



quod, uti nobis quidem videtur, leges sibi volunt, quando casus mortis causa donationum enumerando mentionem mortalitatis cum ipsa donatione conjungunt, & cum quis cogitatione mortalitatis donat, item cum quis imminente periculo commotus donat, nec non si quis periculo motus donat, ut tunc demum fiat accipientis, cum mors fuerit infecuta, donationem esse mortis causa decidunt (kk), nunquam autem talem adesse dicunt, si quis ita donat, ut fiat accipientis, cum mors fuerit infecuta, neque alias ejusmodi formulas, ubi mentio mortalitatis in separata propositione donationem subsequitur, mortis causa donationibus accensent.

## §. III.

Unde nunc facile de hac formula iudicium ferre licet, *weil ich sehe, daß meine Jahre immer mehr und mehr zunehmen, und nicht wissen kann, wie bald mich der Höchste von dieser Welt abfordern möchte, so schencke ich dem Sempronio meinen Vorrath an Büchern.* Est quidem hæc communis omnium opinio, quod tunc, ubi mortalitatis fit mentio, tanquam causæ impulsivæ, donatio fit inter vivos, eamque ob causam illa ipsa formula ad casus donationis mortis causa pertinere nequeat, (l) moribundos in dubio inter vivos potius, quam mortis causa donare cum lege (m) loquentium. At, cum in hac formula verba donationem constituentia præcedat mentio mortalitatis, quæ est accessoria donationis, quo casu antecedentia dant esse negotio principali subsequenti, (§. II.) non possumus non, quin, si mentio

Adeo ut etiam pro donatione mortis causa fit habendum, quando mortalitatis tanquam causæ impulsivæ fit mentio

(kk) l. 2, ff. de mort. caus. donat.

(l) vide S. STRYCK *cit. tract. sect. 3, c. 9, §. 10.* J. F. LUDOVICI *doctr. ff. tit. de donat. m. c. §. 2. in fine.*

(m) l. 42, §. fin, de don. mort. caus. CARPZOV. P. 2. C. 12. def. 24.



tio fiat mortalitatis in propositione donationem præcedente, tamquam causæ donationis impulsivæ, eam pro donatione mortis causâ habeamus. Et quid opus est rationibus, ex analogia juris depromtis? juvabit ex ipso fonte bibere aquas. Ita vero ULPIANUS (n) *Julianum tres confisuisse species mortis causa donationum*, ait: *Unam, cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis donat: Aliam esse speciem mortis causa donationum, cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut statim fiat accipientis; tertium genus esse, si quis periculo motus non sic det, ut statim faciat accipientis, sed tunc demum, cum mors fuerit insecuta.* Cum enim juxta speciem primam mortis causa donatio sit, cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus, sed sola cogitatione mortalitatis, donat, seu, quemadmodum aliæ loquuntur leges (o), quando nos quandoque morituros intelligimus, extra suspensionem quamvis ullius periculi hoc fiat, atque a sano: mira certe est Doctorum dubitatio, ad quamnam donationum speciem sit referendus casus, ubi mentio fit mortalitatis tamquam causæ donationis impulsivæ?

## §. IV.

Ut adeo multo magis J. F. LUDOVICI, hanc formulam: *Weil ich sehe, daß ich sterben werde, schencke ich dir meine Uhr*; ad donationem inter vivos pertinere ratus, (p) inter plures erret, tam propter mentionem mortis verba, quæ inferunt donationem, antecedentem (§. II.), quam quia, licet quis imminente periculo ita donet, ut statim

Notatur  
error Lu-  
dovici

(n) l. 2. ff. de donat. m. c.

(o) l. 31. §. 2. verf. Rursus id. ff. de don. mort. c. l. 35. §. 4. ff. t. c.

(p) J. F. LUDOVICI doct. ff. tit. de don. mort. c. §. 2. in f.



tim fiat accipientis, tamen est donatio mortis causa (§. III.) (q) cum, quamvis in extremis vitæ constitutum quidem non tamen mortis causa, quam morientem donare statuat PAPINIANUS (r), hoc tamen non aliter sit intelligendum, quam si moribundus absque mentione mortis donat, Jcto eum saltem, qui *absolute* donat, non tam mortis causa quam morientem donare, affirmante.

## §. V.

Obvenit anno MDCCXLVII talis casus, ubi quis Recensentur alia do-  
morbo correptus mortique vicinus, fratri suo debitum tur alia do-  
170 florenorum, quo ipsi obstrictus in præsentia duorum nationum  
testium donaverat, his usus verbis: *Er habe sich mit gu- formula  
sem Wissen vorgenommen, T. W. die ihm angelichene 170 dubia.  
Gülden zu verchren, daß er demnach dieses Darlehn, im  
Fall er dieses Lagers nicht wieder aufkäme, dem W. hie-  
mit würcklich geschencket, über erwehntes Capital vollkom-  
men quitiret und Verzicht geleistet haben wollte.* Fato  
cesserat donans, donatarius repetebat ab ejus heredibus  
chirographum, quod vero heredes propterea denega-  
bant, quod donatio mortis causa subesset ob defectum  
quinque testium, quam mortis causa donatio requirit, vi-  
tio nullitatis laborans, quam econtra donatarius inter vi-  
vos esse donationem putabat. Peracta probatione & re-  
probatione ferenda erat sententia definitiva. In utramque  
partem transibant vota, eaque erant divisa. Nos vero ac-  
cedimus eorum sententiæ, qui donationem subesse mortis  
causa existimant. Priora nimirum hæc formulæ verba:

Er

(q) l. 2. vers. aliam esse, & l. 35. §. 4. vers. alias ex metu ff. de m. c. do-  
natione.

(r) l. 42. §. 1. ff. de donat. mort. caus.



Er habe sich mit gutem Wissen vorgenommen, T. W. die ihm angeliehene 170 Gulden zu verehren, propositum saltem indicant, non ipsam donationem constituunt, cum tamen verba, quæ destinationem propositumque manifestant, nihil operentur.(s), hæc vero quæ sequuntur, daß er das Darlehn, im Fall er dieses Lagers nicht wieder aufkähme, dem W. hiemit würcklich geschencket haben wollte, ita sunt comparata, ut hæc demum ipsum actum donationis perficiant, insimul autem, antequam absolvatur, mortalitatis mentionem expriment, & hanc ob causam donationem mortis causa arguant, (§. II.) imprimis cum JULIANUS in eo tertiam constituat donationis mortis causa speciem, si quis periculo motus non sic det, ut statim faciat accipientis, sed tunc demum, cum mors fuerit insecuta.(t) Aliud vero dicendum de illo donationis dubiæ exemplo: Ich bekenne, daß ich meinem Sief-Sohn ungezwungen, und aus guten freyen Willen 100 Rthlr. verheissen und zugesaget habe, also, daß er nach meinem Tode aus meinen Güthern selbige soll zu gewarten haben, quam donans in testamento revocaverat, & heres ejus, ut mortis causa donationem, quam revocare licet, adimplere denegavit, quæ vero pro donatione inter vivos, quia donatio jam erat perfecta, priusquam mortis mentio accesserat, per sententiam est declarata. (u)

## §. VI.

Alia plane incedendum esse via putavit inclytus Jctorum

Notatur  
error alius  
Jctorum  
Hallen-  
sium circa  
formulam  
donationis  
m. c.

- (s) l. pen. §. ult. ff. de bon. possess. sec. tab. l. 24. ff. §. 1. Instit. de testam. milit. J. BRUNNEMAN Conf. II 5. n. 35. J. H. BOEHMER P. 2. Resp. 594. n. 29  
(t) l. 2. ff. de mort. caus. don.  
(u) Jo. BRUNNEMAN Dec. Cent. 5. Dec. 85.



torum ordo in Academia Hallensi, pro donatione inter vivos venditans, quæ his erat concepta verbis: *Weil ich reiflich überleget den kurtzen Lauf des menschlichen Lebens, mit hin auch die Ungewisheit des Endes, als bin ich bewogen worden, zur Erkenntlichkeit der Frau von N. nach meinen Absterben 3000 Gulden Rheinisch aus meiner Verlassenschaft krafft dieses zu geben* (x). Cum tamen non solum omnes in eo conspiciunt leges, quod sola generalis cogitatio mortalitatis, sub qua facta donatio, operetur donationem mortis causa, (y) sed analogia etiam juris id velit, ut, cum præcedit mortalitatis mentio verba donationem constituentia, illa naturam ipsius donationis ingrediatur, ut fiat mortis causa (§. II.). Putat equidem celeberrimus Dn. CARRACH donationem mortalitatis cogitatione declaratam non aliter pro ea, quæ dicitur mortis causa, habendam esse, quam si evidentissime hac intentione facta appareat, ut naturam donationis mortis causa induere debeat, ex hac quidem ratione, quia Germanis olim donatio inter vivos tantum cognita fuit, ea, quam dicunt mortis causa, cum Jure Romano demum recepta (z). Verum enim vero eo ipso, quod Vir doctissimus fateatur esse distinctionem donationis inter vivos & mortis causa argumentum, quod Juri Germanorum veteri incognitum, saltem ex Jure Romano receptum, prono inde fluit alveo, quod, quoties de donatione mortis causa incidit quæstio in legibus patriis non diremta, ad Jus Romanum sit recurrendum, adeoque etiam ex hujus definitione, utrum inter vivos sit donatio, an mortis causa, quæ in du-

B bium

(x) Jo. TOB. CARRACH *de m. c. donat.* §. 19.

(y) *l. 2. & 13. §. 1. l. 18. pr. & l. 35. §. 4. ff. de donat. m. caus.*

(z) vid. J. T. CARRACH *in cit. diss.* §. 9.



bium vocatur, dijudicandum. Est siquidem regula interpretandi ex ipsa rei natura petita, nec ab ipsis Juris Romani osoribus impugnata, quod argumenta Juris Romani, quæ Germania ignoravit, ex jure Romano, non ex Jure Germanico sint interpretanda. Quemadmodum enim interpretationem Juris Germanici eadem infelicitate fieri ex Jure Romano, atque quis declarationem sacrae scripturae ex libris Aristotelis peteret, recte judicant, ita etiam in casu inverso idem nobis dandum esse, non injuria postulamus (a).

## §. VII.

2) circa legatum liberationis quoad quaestionem, utrum transeat ad heredes?

Si quo quisque est vir melior, tanto magis, quod M. TULLIUS affirmat, (b) debitione officii torquetur & grave tormentum est, juxta L. ANNAEUM SENECAM (c) debere, cui nolis esse obligatus, mirum non est, quod veteres, qui interpretatione juris Civilis materiam virtutis & studium honestatis mirifice auxerunt, multa in favorem liberationis introduxerint, quæ alibi exulant. Quid enim magis de eo testatur, quam quod ille ipse POMPONIUS, qui negotia non nisi a scientibus volentibusque contrahi posse statuerat (d), tamen, ut virtuti creditoris locus conspectior daretur, præceperit, debitores etiam ignorantes & in-

(a) SALYCET. *ad l. 2. C. de noxal. act.* GAIL. *L. 2. Obs. 33.* DONAVER *de prudent. interpret. statut.* C. H. FREIESLEBEN *de interpret. stat. ex jure comm.* S. P. GASSER *statut. ex jure comm. esse interpret.* J. U. CRAMER *de interpret. statut.* A. F. RIVINUS *de interpret. statut. ex jure Romano.*

(b) CICERO *ad ATTIC. XIII. epist. 13.*

(c) SENEC. *de benef. II. c. 18.*

(d) *l. 57. ff. de oblig. & act.*



& invitos remissione liberari posse, (e) eandemque viam ingressi fuerint GAIUS & ULPIANUS (f). Neque tamen hæc ita intelligenda sunt, ut quoad liberationem omnia alia juris præcepta deficiant, quin potius privilegia tribuere non liceat, quæ jura speciatim non tribuunt. Ex quibus rebus facile intelligitur, quod, cum legata ad heredes non transeant, mortuo ante testatorem legatario (g), ne heres quidem debitoris liberatione legata liberetur, sed sola duntaxat persona debitoris tuta sit ex testamento, ne ab ipso debitum petatur, ut tamen & hic formulæ diversæ, grammaticæ quamvis eadem, diversum producant effectum. Inspiciendum nimirum in rem, an in personam debitoris conceptum sit legatum? Si enim ipsam obligationem sustulit testator, verbis legati ad legatarium non directis: *Es wolle der Testator die Schuld, womit ihm Titius verhaftet, castiret haben*, non debitor saltem, sed ejus heres quoque legato comprehensus censetur, quod secus, si verba legatum constituentia ad debitorem diriguntur, *daß der Erbe von Caizo die Schuld-Post, womit er ihm verhaftet, zu verlangen nicht berechtiget seyn solle*, ubi ad heredes debitoris legatum liberationis non transit. Hanc certe distinctionem POMPONIUM secutum esse animadvertimus. Ita enim ille: *Tale legatum: Heres meus a Lucio Titio ne petito, ad heredem Lucii Titii non transit, quoties enim persone coheret id, quod legatur, toties ad heredem ejus non transit, si non coheret, transit. Sin verba liberationis in rem sint collata, pro eo est, quasi heres a*

B 2

debi-

(c) l. 23. ff. de solut.

(f) l. 30 &amp; 53 ff. de solut. Adde in specie de privilegiis legati liberationis J. H. BÖHMER T. II. Resp. 752.

(g) l. 8. ff. de adim. vel transf. legat. l. 4. pr. ff. quando dies legat. ced. l. unio. §. 2. &amp; 7. C. de caduc. toll.



debitore ejusque herede petere prohibeatur (h). Unde nunc facile judicium ferre licet, utrum Consultissimus Dn. CHRIST. LUDOV. CRELLIUS (i) hanc formulam: *Cajo vermache ich die 1000 Rthl., so ich von ihm zu fordern*, recte pro ea habeat, qua, mortuo ante testatorem Cajo, ad hujus heredes legatum transeat? de quo nos quidem dubitamus, cum ad personam debitoris verba legati esse directa, adeoque personæ id cohærere, quod legatur, ipsa res loquatur; imprimis cum ea sit legatorum indoles, ut ad heredes non transeant, (k) adeoque huic juris communis dispositioni se conformasse censeatur testator, nisi manifesta sit ejus in contrarium voluntas.

### §. VIII.

It. 3) quoad repetitionem ejus, quod testator a debitore sponte oblatum accepit.

Tractavimus, quando ad heredes debitoris transit legatum liberationis; superest, ut exponamus, utrum repeti possit, quod vivo testatori debitor sponte solvit post conditum ab illo testamentum, quod debitum remisit debitori? Clamitant tantum non omnes solutione spontanea extinguunt legatum liberationis, TERENCE CLEMENTI obsequentes, qui, *si id quod mihi debes, inquit, tibi legavero tuque illud mihi solveris, extinguuntur legatum* (l). Sed neque TERENCE CLEMENTI, neque reliquis Magistris nostræ artis (m) placuisse, qualibet solutione, nisi luculenta sit voluntas testatoris, perimi legatum liberationis, persuasum habemus. ULPIANO sane, etiam repeti & condici posse, quod exsolutum a debitore, cui, antequam solveret, liberationem

(h) l. 8. §. 3 & 4. ff. de liber. legat.

(i) C. L. CRELLIUS de leg. liber. solut. spont. non exstint. §. 3. p. 16.

(k) vid. LL. cc. sub lit. g.

(l) l. 21. pr. ff. de liberat. legat.

(m) l. 7. §. 4. l. 21. §. 2. & l. 31. pr. ff. de liber. legat.



nem legavit testator, visum est, clarissime affirmanti, superesse fidei commissi petitionem, si testator non exegerit, sed debitor ultro pecuniam obtulerit, quam non potuerit non accipere (n), reliquis, quæ contrarium statuere videntur, legibus eum supponentibus casum, ubi de mutata voluntate testatoris constat; quemadmodum & ipse ULPIANUS decidit (o), & præsumtio omnis mutationis & sic etiam animi adimendi legatum exclusiva jubet (p). Gravissimæ nimirum nonnunquam testatorem movere possunt causæ, cur nolit vivus remittere, quod remisit testamento, & quare diffimulet legatum liberationis, quod debitori post mortem suam demum innotescere mavult. Hoc interim quamvis non sit diffidendum, & hic ad iudicis officium pertinere, ut ex figura verborum & orationis æstimet, annon, licet de mutata testatoris voluntate non constet, nihilominus facta solutione liberationis legatum expiret? Si dixerit testator: *Es sollten seine Erben von Sempronio dasjenige, womit er ihm, dem Erblasser, verhaftet, beyzureichen nicht berechtiget seyn, item: Es solle Titius wegen desjenigen, womit er dem Erblasser verhaftet, von denen Erben nicht in Anspruch genommen werden*, facimus cum PAPINIANO, ut nihil relictum videatur, nisi quod manserit in obligatione usque ad apertas tabulas, remota omni repetitione. (q) Satis facit enim heres voluntati testatoris, si actionem non instituat contra debitorem legatarium, neque ipsum conveniat vi vocabulorum legati liberationis, quippe cum, teste POMPONIO,

B 3

ex

(n) l. 11. §. 13. ff. de legat. 3.

(o) *vid. l. cit. 11. §. 13.*

(p) l. 3. §. 7. ff. de adim. vel transfer. legat. Conf. CRILL. in diff. cit. de liber. leg. §. 6.

(q) l. 24. ff. de liberat. legat.



ex quibus retentionem quidem habemus, petitionem non habemus, ea, si soluta sint, repeti non possunt. (r) At vero in omnia alia imus, si hanc testator adhibuerit formulam: *Titio vermache ich die 1000 Rthl., die er mir schuldig*, imo etiamsi non sit expressa certa quantitas, *Titio vermache ich dasjenige, was er mir schuldig*, ita ut hoc casu utiliter repetat debitor, quod ignorans vel testatori vel ante apertas heredi solvit, partim, quia ratio prioris casus, quae in eo consistit, quod heredi nihil amplius injunctum, quam, ne petat, utroque modo, sive quantitas certa expressa, sive non, in posteriori casu deficit, partim, quia secundum regulam in legato quoad principale ad tempus conditi testamenti respicere oportet (s), nisi ipsa verba testamenti tempus mortis designent, (t) id quod de utraque casus posterioris specie, cum de tempore praesenti loquatur, dici non potest.

## §. IX.

4) circa  
transmis-  
sionem le-  
gati ad he-  
redes, mor-  
tuo ante te-  
statores  
legatario

Hereditates & legata, mortuo ante testatorem herede, vel legatario, exspirare, neque ad heredes eorum transmitti, quis est, qui ignorat? (u) Expresse igitur ut significet testator, legatarium decedentem ante testatorem non excidere legati transmittendi facultate ad suos heredes, opus est, si, ut hoc fiat, velit. Quod vero an factum sit hac formula, *Titio und seinen Erben vermache ich mein Haus*, haud immerito in dubium vocatur. Fatemur hanc interpretationem

(r) l. 51 ff. de condit. indeb.

(s) l. 7 § 40 ff. de aur. argent. mund. & orn. legat. l. 41. §. 4 ff. de legat. 3.

(t) l. 9. ff. de aur. argent. mund. & orn. legat.

(u) l. 8. ff. de adim. vel transf. legat. l. 4. pr. ff. quand. dies leg. ced. l. un. §. 2, & 7. C. de caduc. toll.



tionem in ista verba cadere, Titium & eo ante testatorem forsan defuncto, heredes ejus legati capiendi facultatem habere debere, sed eadem verba & hanc admittere interpretationem, ut Titius legatum adquisitionem ad heredes transmittat, nemo non videt? Jam vero in eo conveniunt interpretationis regulæ, quod, si adsint dispositiones, quæ utramque admittunt interpretationem, unam a Juris communis dispositione recedentem, alteram cum ea conspirantem, contra eum sit facienda interpretatio, qui aliquid præterdit, quod est contra naturam negotii, de quo quæritur, eaque capienda, qua a Juris communis dispositione, quantum fieri potest, minime recedatur. (x) Ut adeo qualem de ea, cujus est facta mentio, formula judicium sit ferendum, facile colligi poterit, eam scilicet admittendo interpretationem, qua transmissio ad heredes, mortuo ante testatorem legatario, excluditur, tamquam juris communis dispositioni magis conformem, expressione eorum, quæ tacite insunt, si audiamus ULPIANUM, nihil operante. (y) Id quod secus se habet, si testator forsan his usus sit verbis: *Titio ODER seinen Erben vermache ich mein Haus*. Cujus particulæ, *ODER*, alternativam propositionem constituentis (yy) significatus alium non admittit sensum, quam ut si Titius vel nolit, vel non possit capere legatum, quod sit mortuo ante testatorem legatario, ejus heredibus salva esse debeat legatum adquirendi facultas. (yyy) §. X.

(x) *l. 54. §. 1. ff. locat. l. 81. ff. de Reg. Jur. l. 8. §. 1. C. de jur. Codicill.*

(y) *l. 3. ff. de leg. 1. l. 99. ff. de condit. & demonstr. l. 3. C. de fidejuss.*  
Add. SANDE *decif. 14. tit. 4. def. 11.*

(yy) JO. STRAUCHII *Lex. Jur. voc. AUT. n. 1. 2.* J. H. BOEHMER *T. II.*  
*Resp. 697. n. 54.*

(yyy) JO. BALTH. de WERNHER. *P. 10. Observ. 313.*



5) circa  
clausulam  
testamenti  
privato-  
riam

## §. X.

Ex quibus principiis & quod testator in omnibus voluntatem suam juri communi conformasse censeatur, ulterius jurium interpretes inferunt, generalem clausulam privatoriam testamento adjectam: *Würde nun einer von meinen Erben oder legatariis sich unterfangen, gegen diesen meinen letzten Willen anzugehen, und denselben auf eine oder andere Art und Weise zu impugniren, so soll er alles dessen, was ich ihm von dem meinen zugewendet, hiemit verlustig seyn, id saltem operari, ut, si quis ex capite inofficiosi vel alio existimationem testatoris lædente testamentum impugnet, pœnam amissionis sentiat, cum econtra, si solemnia saltem testamenti impugnaverit, a pœna privationis ejus, quod ipsi relictum, immunis sit, nisi expresse additum: wenn solches gleich nicht aus einer zum Tors des Testatoris erreichenden Ursache geschehe (z). Distinguunt nimirum leges ad quæstionem, utrum quis ipso jure amittat relicta sibi in testamento, quod infringere studet? an quis ex causa in injuriam testatoris tendente testamentum impugnet, an vero id fiat ex alia aliqua causa, ita, ut priori casu quæstio sit affirmanda, quæ in casu posteriori neganda; (a). Eamque ob causam eundem saltem effectum generali tribuunt clausulæ privatoriæ Doctores. Verum enim vero, cum regula, quod testator juri communi se conformasse censeatur, de casu, quod testator senserit, dubio sit intelligenda, atque secundum legum præscriptum, id, quod testator interrogatus verisimiliter respondisset, pari jure censeri debeat cum eo, quod expresse de-*

(z) DN. de LEYSER *spec. 398, Med. 3. RICHTER P. I. Dec. 42.*

H. COCCEIUS *de clausul. testam. C. 2. n. 94 sqq.*

(a) *l. 8. §. 14. ff. de inoffic. testam. l. 2. 15 § 24. ff. de bis, qua ut indign. Novell. 48. C. 1. in fine.*



declaravit (b), asserere nulli dubitamus, quod clausula privatoria etiam generalis casum comprehendat, quando heres vel legatarius ex causa aliqua existimationem testatoris non lædente voluntatem defuncti ultimam impugnat. Quem enim testatorem invenies, qui interrogatus, utrum sub formula clausulæ privatoriæ generalis posteriores quoque impugnandi causas intelligat? affirmando non respondeat, quemque, ipsi distinctionem illam causarum plane non venisse in mentem, fateri non oporteat.

## §. XI.

Antiquissimis temporibus quocunque, etiam legati, titulo legitimam relinquere potuisse notissimum est (c). Quam tamen injuriam Imperator JUSTINIANUS, ut ipse profiteatur, sustulit, constituens, solo institutionis titulo eam parentibus & liberis esse relinquendam, (d) utpote non honorabili solum, sed & utili, ad id nimirum profuturo, ne, reliquis heredibus hereditatem repudiantibus, vel ante testatorem mortuis, aut quodam ex legatariis deficiente, accrescendi jure defraudentur. (e) Ut adeo non quomodo libet, sed ad monitum Imperatoris provide, aperte ac legitime sua quisque ordinare debeat elogia, ipsamque heredis institutionem, ne periculo infelicitioris ac sequioris exitus

6) circa re-  
linquen-  
dam legi-  
timam.

C expo-

(b) *l. 47. pr. & l. 74. ff. de leg. 1. l. 25. §. 1. de liber. & posth. l. 57. ff. de manum. testam.*

(c) *§. fin. Inst. de inoffic. testam. Novell. 18. c. 1.*

(d) *Novell. 115. c. 3. pr. c. 4. pr. & c. 5. pr.* Aliter quidem hanc novellam vocemque *etsi* explicat JOH. STRAVCHIUS in exercit. 4. ad 50. Decis. c. 3. n. 6 & 7, quam tamen ex græco idiomate vindicat JO. FRID. HOMBERG ZU VACH in nov. Novell. vers. Novell. 115. c. 3.

(e) *l. 14. C. de fideicommiss.*



exposita, irrita reddantur & nulla. (f) De phrasi: *Cajus soll mein Erbe seyn von meinem Hause*, nullum est dubium, quin de vera sit capienda heredis institutione. Si autem mutato vocabulo, *Erben*, dicatur, *Cajo vermache ich mein Haus*, titulus adest legati, sub quo vero cum legitima hodie amplius relinqui non possit, (*per priora*) testamentum, tamquam requisito in Novella CXV præscripto destitutum, erit inofficiosum (g); modo vocabulum *legiren, vermachen*, non adjectum sit rei universali, *meine gantze Verlassenschaft vermache ich Cajo*, ubi natura dispositionis in legatum non cadens suadet, illud in sensu improprio & pro heredis institutione esse accipiendum (h). Fuere quidem subinde, qui vocabula, *legiren & vermachen*, communia & ut ultima voluntas sustineatur etiam tunc, ubi ad singulas res relictas applicantur, de heredis institutione esse explicanda contendunt (i), sed invita Minerva. Quemlibet, etiam jurium maxime imperitum, hodie non fugit, vocabulorum *legiren & vermachen*, eum esse significatum, ut non heredem, sed eum potius, cui aliquid ex hereditate ab herede præstandum, designent, ut adeo, si nihilominus sub eo titulo legitimam relinquunt, se nolle, ut titulo pro herede acquirant legitimam, significant. Quod cum, auctore JUSTINIANO, illum producat effectum, ut testamentum rescindatur (k), nulla apparet ratio, quare, cum omnis de

legi-

(f) *Novell. 84. C. 1. pr. & Novell. 18. c. 7.*

(g) *vid. DN. PRÆSIDIS diff. de singul. quer. testam. inoffic. capit. ab error. Doct. liber. §. 6.*

(h) *BERLICH P. 2. Concl. 15. n. 48.*

(i) *THESSAURUS dec. 58. n. 8. 9. CARPZOV P. 3. c. 9. def. 7. Dn. a LEYSER spec. 356. med. 2. 3.*

(k) *vid. Dn. PRÆSES c. dissert. & loc.*



legitima ex jure Romano recepta materia, jura ejusdem secundum principia legum Romanarum non sint æstimanda, quæ non aliter, nisi vocabula illa Germanica synonymice juxta communem loquendi usum pro heredis institutione revera sumerentur, deficere possunt (l). Hoc quamvis perinde sit, siue legitima in parte quota, siue in rebus certis vel quantitate certa, fuerit relicta, si modo illud titulo Institutionis factum (m).

## §. XII.

Quod si heres sub conditione, *si sine liberis decesserit*, legato vel fideicommissio gravatus, quæstio est, utrum ille etiam sine liberis decessisse videatur, qui liberos quidem suscepit, sed vivus iterum amisit? quam pro diversa verborum figura decidere oportet. Si dixerit testator: *Sollte Mevius keine Kinder bekommen, item sollte Mevius unbeerbt verbleiben*, expirat legatum vel fidei commissum, cum si quid legatum est sub conditione, si liberos habuerit, nato filio statim dies legati cedit, nec quidquam obest, si is postea decesserit, ut rescripserunt Imperatores SEVERUS & ANTONINUS (n). Quæ secus se habent, si hæc adsit formula: *Sollte Mevius unbeerbt versterben*, quo casu, si liberi ante heredem Mevium rursus decesserint, conditio defecisse intelligitur (o), ipso verborum significato, si modo eum penitius consideres, de veritate hujus distinctionis testante.

C 2

## §. XIII.

(l) JOH. HENR. BERGERI *Oecon. Juris lib. 2. tit. 4. §. 15.*(m) *Novell. 115. c. 5. pr. Add. J. H. BERGERUM, qui CARPZOVIVM P. 3. C. 9. def. 8. & ANT. FABRUM in Error. Pragm. Dec. 14. Error. 6. contrarium statuentis refellit in disser. de Hered. in re cert. insit. §. 17.*(n) *l. 4. C. quando dies leg. vel fideicommiss. cedit.*(o) *l. 17. §. 7. ff. ad Sct. Trebell. MANTICA de conjest. ultim. volunt. L. 2. tit. 6. n. 3. BÖHMER T. II. Resp. 796. n. 6.*



## §. XIII.

§) circa  
substitutio-  
nis directæ  
& fidei-  
commiffa-  
ria: formu-  
las.

Multum interesse inter substitutionem directam & fidei commissariam hoc imprimis, quod directæ & quidem, de qua agimus, vulgaris, simulac heres institutus hereditatem adiit, expiret, nec, etsi heres momento post aditionem decesserit, reviviscat, fideicommissum autem perduret: hic detractio quartæ Trebellianicæ locus detur, quæ ibi exulat, inter omnes constat. Frequentes itaque, qualem substitutionem testator intenderit, exoriri solent lites, quas ex sola verborum, quæ vulgus pro synonymis habet, figura ferè dijudicare oportet. *Daß Primus und nach dessen Absterben Secundus unser Erbe seyn solle*, idem videtur cum hac formula, *daß Primus und nach dessen darauf erfolgten Ableben Secundus unser Erbe seyn solle*. Sicuti quoque hæc verba, *Primus soll mein Erbe seyn, nach dessen Tode aber Secundus die Erbschafft haben*; grammaticè conveniunt cum illis, *Primus soll mein Erbe seyn, nach dessen Tode aber die Erbschafft an Secundum restituiret werden*. Quæ tamen inter se differunt, ita ut in utroque casu prior formula substitutionem directam, posterior fideicommissum constituat, dissentiente quamvis magni quidem nominis JCTO JUST. HENN. BOEHMERO (p): Esse nimirum substitutionem directam propriam substitutionem, fideicommissariam autem saltem improprie talem, extra omnem dubitationis aleam est positum (q). Quemadmodum igitur pro eo, quod est proprium, semper capienda præsumtio, nisi urgentes adsint rationes in contrarium: (r) ita

(p) J. H. BÖHMÉR T. II, Resp. 700. n. 7. sqq.

(q) FUSAR de substit. qu. 479. n. 2. PEREGRINUS de fideic. art. 18. n. 8. FABER L. 6. tit. 8. def. 10. n. 2.

(r) CHRIST. L. B. DE WOLFF in Jure Nat. P. 6. S. 469.



ita etiam in dubio directa potius præsumitur substitutio, quam fideicommissaria, ipso Pontifice Maximo BONIFACIO VIII. in substitutionibus semper ita esse faciendam interpretationem, ut substitutio directa intelligatur potius quam obliqua, dilerte præscribente (s). Jam vero prior in utroque casu formula admittit quidem eam interpretationem, ut, si Primus post mortem testatoris decedat, hereditas ad Secundum transeat, neque tamen, quod cadit in substitutionem directam (t), hanc respuit, ut, si Primus ante testatorem decedat, secundus sit heres, adeoque non possit non directam denotare substitutionem. Cum e contra natura fidei commissi id velit, ut, si figura orationis ita sit comparata, ut pateat evidenter, post mortem heredis ACQUISITAM ab eo hereditatem ad alium esse transferendam, substitutio sit fideicommissaria. (u) Quod cum in posteriori utriusque casus formula conspicuum, utpote cum vocabula, *dar-auf & restituiren* non conveniant, nisi Primus hereditatem acquisivisset, eo ipso fideicommissum esse constitutum, nulli dubitamus.

## §. XIV.

Facta plurium heredum collectiva & unius disjunctiva institutione, *Titius und meines Bruders Kinder sollen meine Erben seyn*, hereditas non in tot partes æqualiter est dividenda, quot sunt personæ, sed illi, qui collective scripti, pro una persona habentur, adeoque duæ saltem partes totius massæ constituuntur, alteram capiente Titio, altera ad fratris

9) circa  
conjun-  
ctionem  
heredum  
vel legata-  
riorum.

C 3

tris

(s) c. 1. de Testam. in 6to

(t) pr. Inst. de vulgari subst. l. 45 ff. de vulg. &amp; pupill. subst.

(u) c. 1. de testam. in 6to ibique verba: dummodo verbis conveniant

NIC. INTRIGLIOL. de subst. Cent. 3. qu. 72. n. 76. MENOCHIVS  
L. 4. Præf. 69. n. 11. PETRA de fideicom. L. 5. n. 7.



tris liberos spectante. (x) Quæ ratio, quod collective scripti habeantur pro una eademque persona, cum etiam quadret ad eum casum, ubi omnes sub nominibus collectivis instituti, v. g. *Meine und meiner Frauen Anverwandten sollen meine Erben seyn*, non minus hic in duas æquales partes est dividenda hereditas (y), quam si nomina quidem speciatim expressa, non vero in una eademque, sed in diversa propositione, *Primus soll mein Erbe seyn, Secundus und Tertius sollen auch meine Erben seyn*, hoc sensu, ut, qui in una propositione conjunguntur, pro una eademque persona iterum habeantur, ideoque unam saltem capiant portionem. (z) Quæ omnia propter cessantem rationem secus se habent, si illis, qui collective scripti, addantur vel singularum nomina: *Titius und meines Bruders Kinder, Primus, Secundus und Tertius sollen meine Erben seyn* (a); vel particula, æqualem bonorum divisionem indicans, *Titius und meines Bruders Kinder sollen gleich demselben meine Erben seyn* (b), vel particula distributiva, *quisque vel quilibet* adjecta (c) vel denique quoad casum ultimum, nemini eorum singularis periodus sit dicata, *Primus, Secundus und Tertius sollen meine Erben seyn*; ita ut omnibus hisce casibus in capita succedant,

(x) l. 7. ff. de usufr. adre. l. 13. pr. ff. de hered. inst. l. 11. 15 & 34 ff. de legat. 1.

(y) CARPZOV P. III. C. 7. def. 20. n. 7.

(z) l. 13. & l. 59. §. 2. ff. de hered. inst. Colleg. Argent. tit. de hered. inst. n. 6. CARPZOV P. III. C. 9. def. 15. JOH. BALTH. DE WERNHER P. 9. Obs. 149.

(a) l. 23 & 24 ff. ad Sc. Trebell. l. 124. ff. de legat. 1.

(b) l. 13. pr. ff. de hered. instit.

(c) HILLIGER ad DON. L. 6. c. 26. lit. E. SAM. STRYCK de cont. testam. c. 20. §. 13.



dant, & tot sint constituendæ portiones, quot sunt personæ, neque propter eandem ubique rationem in legatis eodem modo relictis aliter sit philosophandum.

## §. XV.

Sed pedem proveamus ad legata sub conditione vel <sup>10)</sup> circa modo relictâ. Verba autem utramque hic faciunt pagi-<sup>legatum</sup> nam. Particulæ, *si, nisi, postquam, wo, wann, woferne*, red-<sup>modale.</sup> dunt legatum conditionale, *Cajo vermache ich 1000 Rthl., wo er Titiam heyrathet.* Utendo autem particulis, *ut, ne, pro, quo, daß, damit, auf daß* e. g. *Cajo vermache ich 1000 Rthl., daß er Titiam heyrathe*, legatum erit modale (d), utpote quod ex verbis causam finalem indigitantibus inducitur. Quæ inter maxima deprehenditur differentia. Conditionis enim legatis adjectæ ea est natura, ut, si affirmativa sit, legati acquisitionem suspendat in futurum eventum (e), ita ut pendente conditione nec cedat nec veniat dies (f), sed rei legatæ dominium maneat penes heredem (g), qui etiam fructus percipit, ac suos facit (h), nihil autem, decedente interim legatario, ad heredes transmittatur (i), etiamsi ad satisfaciendum conditioni sese offerant (k), quin nec illi, cuius gratia conditio implenda, competat actio (l), neque

pro

(d) l. 30. ff. de condit. & demonstr. GEORG ENGELBRECHT ad ff. disp. 19. thes. 1. in f. MEYER in Colleg. Argent. tit. de condit. & demonstr. tb. 7 § 43

(e) l. unic. §. 7. C. de caduc. tollend.

(f) l. 213. ff. de verb. signif. l. 5. §. 2. ff. quando dies leg.

(g) l. 66. ff. de R. V. l. 32. §. 1. ff. de leg. 2.

(h) l. 12. §. 2. ff. fam. ercisc. & l. 32. ff. de legat. 2.

(i) l. 31 & 59 ff. de condit. & demonstr.

(k) l. 109. ff. de condit. & demonstr.

(l) ZOES. ad Cod. tit. de his, quæ sub mod.



pro impleta habeatur, quamvis per legatarium non stet, quo minus impleatur (m), nisi, si conditio mixta, eo tempore, quo conditio adhuc impleri potuisset, efficacem suam de adimplenda conditione voluntatem significaverit legatarius. (n) Modus vero nihil impedit, quo minus statim legatum peti possit, & rei legatæ dominium a morte testatoris ad legatarium transeat (o), cavente saltem legatario de modo, accepto legato, adimplendo, si in favorem tertii adjectus, id quod, si solius legatarii commodum respiciat, ne quidem opus est (p), quin, quemadmodum, si per legatarium non stat, quo minus impleat modum, legatum nihilominus debeatur (q): ita, licet antequam modi implementum sit secutum, legatarius moriatur, legatum tamen ad heredes transmittatur (r), contra quos etiam ille, in cujus favorem modus adjectus, ad adimplendum agere potest. (s)

## §. XVI.

11) circa legata collegiis & corporibus relicta.

Si quando collegiis, quod, si sunt summi Imperantis autoritate approbata, licitum (t), hereditates vel legata deferuntur, non raro evenire solet, ut, quæ tempore mortis testatoris adsunt membra, sibi lucra illa habere velint, ubi

(m) l. 101. ff. de cond. & demonstr.

(n) l. 31. ff. de cond. & demonstr.

(o) l. 32. pr. & l. 80. ff. de legat. 2.

(p) l. 71. pr. ff. de cond. & demonstr.

(q) l. 54. § 2. & l. 92. §. 1. ff. de legat. 1. l. 1. C. de his que sub mod.

(r) VOETIUS ad ff. tit. de cond. & demonstr. n. 16. BÖHMERS Jus Digestorum tit. eod. §. 7.

(s) l. 21. §. 3 ff. de ann. leg. l. 17. §. 2. & l. 44. ff. de manum. testam. l. 2. C. de his, que sub modo, ibique ZOESIUS, WISSENBACH, BRUNNEMANN.

(t) l. 1. §. 15. ff. ad Sct. Trebell. l. 12. C. de hered. instit.



ubi tamen haud parum refert, quibus testator usus est verbis. Quæ si ita comparata, ut ipsam universitatem, qua talem, non ejus membra indigent, v. g. *der Universitet, der Stadt, der Kirchen zu N. vermache ich 1000 Rthl.*, legatum neque quoad ipsam proprietatem, neque quoad usumfructum corporis illius membris cedit (u); quod secus, si ejusmodi adhibitæ locutiones, sub quibus membra alicujus collegii collective venire solent, dem *Consistorio Academico, dem Stadt-Rath, dem Ministerio Ecclesiastico, denen Predigern zu N. vermache ich 1000 Rthl.*, quo casu hoc est instar annui legati, ita ut redditus quotannis & in perpetuum inter membra istius Collegii sint dividendi, sortem ipsam vero servare oporteat (x), quin nec si in una persona consistat, dem *Prediger zu N. &c.* alia obtineat decisio (y), nisi adsint verba, quæ adfectionem testatoris erga membra præsentia aut alterius alicujus temporis produunt, quod fit, si vel nomina membrorum adjecta, vel alia, quæ de eadem testantur, reperiuntur indicia, v. g. *der jetzige Stadt-Rath, item derjenige, welcher zur Zeit meines Ablebens Prediger zu N. seyn wird, soll 1000 Rthl. haben*, ubi ipsa fors illius collegii membris cedit. (z)

## §. XVII.

Sed mittamus legata, de eo potius solliciti, annon ver- 12) circa  
ba: *Meine Kinder sollen in meiner Verlassenschaft zu gleichen* prohibitio-  
*Theilen gehen*, ad inhibendam collationem sint idonea, idem- nem colla-  
que tionis.

D

que

(u) l. 7. §. 1 ff. quod cujusque univers. l. 10. §. 4 ff. de in Jus voc. Richter P. 1. Dec. 37. n. 48 & 49. LAUTERB. Coll. Theor. Pract. tit. de legat. §. 8.

(x) l. 20. §. 1 ff. de ann. legat.

(y) l. cit. 20. de ann. legat.

(z) c. 15. X. de testam.



que operentur, quod formula: *Meine Kinder sollen sich nichts einander conferiren.* Quoad posteriorem clausulam menti Imperatoris omnino esse conveniens, ut collatio cesset, nulli dubitamus. (a) Quoad priorem vero, licet alii (b) opinentur, sufficere voluntatem, quoquo modo significatam, nos tamen, quod nondum prohibita censeatur collatio, arbitramur. (bb) Quoties enim lex aliquid expressè fieri debere disponit, non facile tacitum cum expresso eandem vim habet. Expressa autem quod hic designatio parentis desideretur, patet ex Novell. XVIII. c. VI. *nisi EXPRESSIM designaverit pater, se velle non fieri collationem.* eam pro remissa habendam non esse, jubente (c) Quam vocem *Expressim* quamvis nos non eo accipiamus rigore, ut conjecturas omnes & argumenta artificialia excludat, cum in omnibus aliis ultimarum voluntatum partibus liquidæ admittantur conjecturæ (d), & nulla appareat ratio, cur in sola doctrina de collatione iudicem ad verba alligare velimus, quæ potius nec in ipsa collatione necessaria duxit SCÆVOLA conjecturas admittens (e), oportet tamen, ut sint concludentes, & illa testamenti dispositio, ex qua inferenda collationis prohibitio, ita comparata, ut nullum plane dubium relin-

(a) *Nov. 18. c. 6.*

(b) CARPZOV *P. 3. C. 11. def. 24.* BERLICH *P. 2. Dec. 249. n. 3.*

(bb) J. H. BÖHMER *T. 11. Resp. 851. Them. 1.*

(c) STRYCK *de Succ. ab int. diss. 11. c. 6 & 7.* HAHN *ad WESENB. tit. de collat. n. 5.* G. A. STRUV. *Exerc. 37. §. 36. ibique MULLER in not. lit. E.*

(d) *l. 24 ff. de reb. dub.*

(e) *l. 39. §. 1 ff. Famil. ercisc. Add. FABER in Cod. ad tit. de collat. def. 5. DN. a LEYSER Spec. 413. med. 7. HARPRECHT de divis. bonor. inter liber. a parent. adhuc in vivis fact. p. 48*



relinquat (f), cum, quo magis expressam declarationem requirant leges, eo certius de voluntate disponentis constare debeat. Id quod ad formulam priorem non quadrat, utpote quæ, salva collatione, effectum suum habere potest.

## §. XVIII.

Restant quidem adhuc aliæ ultimarum voluntatum dispositiones, ubi verba non valent sicut nummi. Quem enim fugit, multum differe vocabulum, *freye Kost*, a voce *freye Umerhaltung*? hoc sensu, ut sub illo saltem intelligatur *cibus & potus*, non habitatio neque vestiarius (g); hoc vero complectatur cibaria, vestitum & habitationem, omniaque ea, sine quibus corpus ali non potest, ea ipsa quoque, quibus tuendi curandive corporis nostri gratia utimur. (h) Quis ignorat, fundo instructo legato, *Cajo vermache ich mein Guth mit der gantzen Einrichtung, item mit allem Zubehör*, non tantum instrumenta necessaria, sed & omnia illa, quæ testator ibi habuit, ut fundus esset instructior, legata esse, vinum quoque & suppellectilem, quæ usus gratia ibidem asservata (i), cum si fundus cum instrumento legatus: *Cajo vermache ich mein Guth mit der Hofwehr, mit dem Vieh und Feld* inventario, legatarius ea solum consequatur, quæ fructuum quærendorum ergo sunt comparata (k), & sine quibus possessio fundi exerceri non potest. (l) Quem latet, quod particula CUM, nec non particula ET maximam diver-

D 2

(f) HARPRECHT *Vol. nov. Conf. 91. n. 83.* MEVIUS *P. 4. Dec. 233.*

(g) *l. 21. ff. de aliment. vel cibarij. legat. ibique BRUNNEM.*

(h) *l. 6 ff. cit. tit. l. 43 ff. de V. S.*

(i) *l. 12. §. 27 ff. de instr. & instrum. legat.*

(k) *l. 8 ff. de instr. & instrum. legat.*

(l) *l. 12. pr. ff. cit. tit.*



fitatem involvat? ita ut, si res principalis ET accessoria legata, re principali peremta, aut alienata, accessoria adhuc debeatur. (m) Si vero res principalis CUM accessoria legata, hæc non debeatur, si illa alienata vel vivo testatore peremta (n). Quis est, qui nescit, quod, si pluribus una summa relicta, sed expressa parte quanta, quam quilibet capere debeat: *Ich vermache Primo und Secundo 3000 Rthlr., dergestalt daß Primus 2000 Rthlr., Secundus 1000 Rthlr. davon bekomme*, jus accrescendi cesset, (o) quod locum habet, expressa parte quota: *Ich vermache Primo und Secundo 3000 Rthl. dergestalt, daß Primus  $\frac{2}{3}$ tel, Secundus  $\frac{1}{3}$ tel davon bekomme* (p). Sed mittimus & hæc & alia, ad actus inter vivos progredientes, ubi non minori circa electionem vocabulorum cautione opus est.

## §. XIX.

14) circa novationem tam quoad mercedes famulorum.

Magna inter veteres erat dubitatio, annon creditor nova debitorem obligatione obstringens prius remiserit vinculum, specialiter licet hoc non expresserit? quam JUSTINIANUS sustulit, fanciens: *nihil penitus cautionis veteris innovari, si quis aliquid fecerit, ex quo veteres novationem inducebant, sed anteriora stare & posteriora illis incrementum accedere, nisi ipsi specialiter remiserint quidem priorem obligationem & hoc expresserint, quod secundam magis præ anterioribus elegerint.* (q) Quoad quam dispositionem quamvis non illorum (r) accedamus sententiæ, qui factis etiam, non verbis

(m) l. 5. ff. de instrum. vel instrum. legat.

(n) §. 17. Inst. de legat. & l. 1. §. 1. ff. de instr. vel instrum. leg.

(o) l. 84. §. 12. ff. de legat. 1. l. 1. pr. ff. de usufr. accresc.

(p) l. 15. §. 1. ff. de legat. 1. SANDIUS L. 4. tit. 4. decis. 7. MÜLLER ad STRUVIUM Ex. 35. tb. 33. lit. a.

(q) l. 8. C. de Novat.



verbis expressis duntaxat, novationem fieri posse generaliter existimant, si modo ista sint luculenta & indubitata, ut perspicuum sit, partes a prima obligatione recedere illamque in secundam transformare voluisse; cum partim Imperator apertius illis contradicere non potuisset, non solum negative facta non admittens, sed præterea etiam positive postulans, *ut specialiter remiserint obligationem priorem & HOC expresserint, quod secundam magis præ anterioribus elegerint*; partim in easdem difficultates & ambiguitates Juris, quas Justinianus refecare voluit, incidamus, si factis in novatione locum damus (s); tunc tamen, quando non possibile, quod posterior obligatio iniri potuisset, nisi prior fuisset sublata, priorem obligationem per posteriorem extinctam esse vi voluntatis consequentis, quæ includit nolitionem ejus, quod voluntate antecedente cum priori subsistere non valente placuerat, ingenue fatemur. (ss) Desideravit nimirum, JUSTINIANUS, ut, nisi aliud expresse actum fuerit, *conjugatur nova obligatio cum anteriori & prior illa accipiat incrementum ex posteriori*; quod manifeste indicat, sermonem Imperatori esse de illis veterum novationum casibus, ubi posterior obligatio cum priori conjungi potest, ad quos eo magis hanc novam dispositionem restringere oportet, cum sit lex correctoria, qua veteris juris novationibus mederi allaboravit, quales leges correctoriæ strictissime

D 3

sime

- (r) JO. C. C. HERTIUS *T. I. Resp. 246. & T. II. Dec. 567.* BÖHMER *T. II. resp. 593. & 1045.* DN. a LEYSER *Spec. 527. med. 4.*
- (s) CARPZOV. *P. 2. C. 19. def. 14. & L. 5. Resp. 105.* J. H. de BERGER *in Elef. disc. for. Suppl. P. I. p. 845.* SAM. STRYCK *in caut. contr. Sect. 4. C. 2. §. 2.* C. L. CRELL *de animo novand. fact. expresso §. 3.*
- (ss) CHR. L. B. de WOLFF *Psychol. Empir. §. 928*



sime sunt interpretandæ (t), atque præterea in nostro novationis casu impossibile sit, inita posteriori obligatione priorem adhuc subsistere posse, impossibilia autem Legislator præcepisse non præsumatur, quod monet CELSUS. (u) Deploranda hinc sæpius in concursibus Creditorum conditio domesticorum debitoris communis, qui mercedem suam Domino reliquerunt accepto chirographo hujus forsan tenoris: *Ich Endes Unterschriebener uhrkunde und bekenne, wasmassen mir mein Knecht Javolenus angeliehen und vorgestreckt 100 Rthl. &c.*, quo ipso novatio adest, ut extincta priori causa obligationis, privilegium mercedis amittant. Fingunt scilicet leges, quoties titulus novus substituitur, & causa possessionis, in qua manet debitor, mutatur, debitorem rem debitam creditori tradidisse, huncque eandem debitori reddidisse, adeo ut, quemadmodum, si vere hæc reciproca traditio intervenisset, nullum dubium, quin prior obligatio per solutionem, tamquam modum tollendi obligationem, necessario extingui debeat, ita, cum fictio in casu ficto idem operetur, quod veritas in casu vero, eodem modo per fictam hanc reciprocam traditionem non possit non fieri, quin prior tollatur obligatio. (x) Quæ principia si hic applices, veritas nostræ decisionis patebit. Debitor hactenus fuit Dominus ex capite mercedis, quam vero jam mutavit vi verborum, *angeliehen und vorgestreckt*, in mutuum. Ergo & reciproca adest traditio, quam brevi manu talem dicere solemus, & inde extinctio prioris causæ debendi. Quæ omnia autem secus se habent, si hac formula

(t) l. 26. ff. de legib.

(u) l. 185. ff. de Reg. Jur.

(x) l. 15. ff. de reb. cred. l. 9. §. 5. ff. de acquir. rerum domin. l. 18. pr. ff. de acquir. possess. l. 77. ff. de R. P. l. 6. §. 2. ff. de precar. §. 44. Inst. de R. D.



mula usus est dominus: *Ich Endes Unterschriebener uhrkunde und bekenne hiemit, wasmassen ich meinem Knecht Favoleno 100 Rthl. bin schuldig geworden,* ubi nec novus titulus substituitur, nec causa possessionis mutatur, licet vel addita sit particula *heute dato*, cujus dictionis plures alia, quam substituti novi tituli possunt esse causae, vel, quo casu falso quidam novationem factam statuunt (y), usurae in simul sint promissae, quae etiam in debito in regula gratuito, praevia promissione, locum habere & mercedi tamquam incrementum accedere, & cum eadem consistere possunt, lege VII. §. II. & l. XXIV. ff. deposit. ad jura antiqua pertinente, quibus derogavit Imperator in l. ult. C. de novat.

## §. XX.

Sunt & alia debita, quae privilegiatum locum in con-<sup>quam r5)</sup> cursu creditorum occupant, quem per acceptationem novi <sup>quoad alia</sup> chirographi Creditores & amittunt & non amittunt. Ca-<sup>debita pri-</sup> dunt privilegio, si nova causa debendi a priori diversa sub-<sup>vilegiata.</sup> stituitur, veluti si coheres coheredi pecuniam hereditariam ob adjudicata praedia hereditaria debet, postea autem Chirographum eidem dat, *daß er ihm sothane Summe angelichen und vorgestreckt*, (§. praecedent) quod retinent, si novus titulus non allegatur, *daß er ihm dieselbe Summe sey schuldig geworden*, (§. XIX.) nisi, manente eadem causa debendi, verba indigent traditionem brevi manu intercessisse, v. g. si antiquior creditor hypothecarius, amisso forsitan vel lacera- to priori documento, novum sibi dari curavit chirographum, in quo debitor sub hypotheca bonorum testatur, *daß der Creditor ihm HEUTE DATO das Geld angelichen und vorgestreckt (per princip. traditionis brevis manus §. XIX.)* quo casu  
ex

(y) Dn. a LEYSER spec. 483. med. ult. Dn. CRELL in cit. diss. §. 6.



ex tempore & die novi chirographi res æstimanda. Ubi tamen cautela, ut novatio prioris obligationis extinctiva fiat cum protestatione, ut causa sine novatione procedat. Cum enim pactum novi creditoris cum debitore operetur, ut privilegia illius debiti, quod ipsius pecunia exstinguitur, transeat ad novum creditorem: (z) creditor vero ille novans sit novus ille creditor, cujus pecunia prius debitum exsolvitur, vi traditionis brevis manus, quæ actui illi inest, quique per protestationem illam implicite cum debitore paciscitur, ut in ipsum tanquam solventem privilegia prioris debiti transeant, prona exinde resultat consequentia, ut, si in casu novationis extinctivæ intercesserit protestatio, ut causa sine novatione procedat, creditor suo privilegio priori non sit privandus.

## §. XXI.

nec non  
16) quoad  
solutionem  
particula-  
rem quan-  
tatis di-  
verso tem-  
pore cre-  
ditæ.

Si quis debet quantitatem diversis summis & diversis temporibus creditam, particularis solutio est licita. (a) Formula autem in chirographo novo, *daß unser Creditor uns angeliebet und vorgeschrecket*, si prior causa debendi etiam fuerit mutuuum, non tollit priorem obligationem (§. XIX.) nisi addita reperiantur verba, quæ indicant traditionem brevi manu factam, de quo testatur conjunctio vocabuli, *heute dato.* (§. XX.) Ergo si quis debet quantitatem diversis temporibus creditam, particularis solutio licita est, licet novum debitor dedisset chirographum, in quo diversæ summæ in unam conflatae his verbis: *Ich Endes Unterschriebener*  
*abrkun-*

(z) l. 12. §. 8. ff. qui pot. in pignor.

(a) arg. l. fin. quib. mod. pign. vel hypoth. solvitur. l. 3. ff. de reb. cred. l. 99. ff. de solut.



*urkunde und bekenne, daß mir Titius vorgestreckt und an-  
geliehen die Summa von 1000 Rthlr., nisi addita particula  
heute dato.*

## §. XXII.

Si plures simul unam summam promittunt, vel uni chi-  
rographo subscribunt, singuli non pro tota summa, sed pro  
rata saltem conveniri possunt, tamen si reliqui non sint sol-  
vendo (b), nisi vel conventio, vel testatoris dispositio, vel  
delictum, vel lex illud jubeat. Quo magis vero hic gravat  
alium pro alio solvere debere, eo certius, quod ad conven-  
tionem attinet, de voluntate contrahentium correaliter sese  
obligandi constare debet. De quo quidem tunc nullum  
est dubium, ubi sub clausula, *daß sie alle vor einem und einer  
vor alle einstehen wollen*, contractum inierunt, utpote quæ  
nullam aliam patitur interpretationem, quam ut quilibet  
in solidum velit esse obligatus, quæ certitudo autem cessat,  
si loco vocabulorum, *alle vor einem, und einer vor alle*, sub-  
stituerunt formulam *samt und sonders*, quæ quidem admit-  
tit eandem sed etiam aliam, & hanc equidem interpretatio-  
nem, ut omnes promittentes quoad totam summam & sin-  
guli pro rata sua conveniri queant. Ut adeo, quamvis  
omnes, quos nobis evolvere licuit, Jcti, ut haec etiam  
verba correalem prodant obligationem, affirmant (c), in  
eorum tamen castra descendere non possumus, cum non so-  
lum regulæ, quæ hic est, ut correalis obligatio non præsu-  
matur, tamdiu insistendum, donec evidenter de contrario

E

con-

(b) l. ii. §. 1. 2. ff. de duob. reis. l. 5. C. si cert. pec.

(c) WEHNER in observ. pract. voc. sämtlich. HAHN ad WESENBECK.  
tit. de corr. oblig. n. 5. J. A. FRÖMMANN de correali obligatione  
§. 12. p. 29.



constat, sed etiam ita facienda in dubio interpretatio, ut contrahentes juris communis dispositioni, quæ hic est, ut excludatur correalis obligatio, sese conformasse censeantur (§. IX.)

## §. XXIII.

18) circa  
addictionem  
in  
diem &  
quoad  
ipsam con-  
ditionem.

Est additio in diem, quando res alicui venditur, ut, meliore conditione intra certum tempus allata, res sit in-empta. (d) Iniri vero posse hoc pactum duplici modo docet ULPIANUS, distinguens inter additionem in diem sub conditione suspensiva & resolutive factam. Nam siquidem hoc actum, *ut meliore allata conditione discedatur*, emptio, inquit, pura resolvitur sub conditione, sin autem ita: *ut perficiatur emptio, nisi melior conditio offeratur*, erit emptio conditionalis suspensiva. (e) En Imperatorem ipsum & JOCUM eleganter admodum probantes, quod verba non valeant sicut nummi! Quodsi enim per modum priorem conditionis nimirum resolutivæ venditio celebratur: *Solte ich aber die Sache innerhalb 4 Wochen mit bessern Profit anbringen können, so soll Käufer gehalten seyn, die Sache zu restituiren*, dominium statim ad emptorem transit, adeoque etiam ad eum ex natura domini omnia commoda & incommoda & ipse rei interitus spectat. (f) Cui vero sub conditione suspensiva res in diem est addicta, *daß, woserne Käufer nicht innerhalb 4 Wochen die Sache mit bessern Profit mögte anbringen können, so denn die Sache für den Preis dem Käufer verkauffet seyn solte*, pendente conditione dominio non gaudet (g), neque

(d) l. 1. ff. de in diem addict.

(e) l. 2. pr. ff. cit. tit.

(f) l. 2. §. 1. l. 3. & ff. de in diem addict.

(g) l. 4. pr. ff. cit. tit.



neque, deficiente licet conditione, damnum sentit, nisi fuerit particulare. (h) Res scilicet omnis eo redit, utrum verba ita sint comparata, ut effectus emtionis venditionis perfectæ prius, quam conditio deficiat, locum habere non debeant, an vero statim hoc quidem fiat, ut tamen existente conditione iterum cessent? Ubi priori casu conditio erit suspensiva & casu posteriori resolutive. Unde patet, quid de ea sit sentiendum formula: *Und versprechen beyde Contractanten, woferne Käufer nicht innerhalb 4 Wochen die Sache besser solte anbringen können, diesen Contract fest und unverbrüchlich zu halten*, quæ implicite in casu existentis conditionis resolutionem contractus præscribit, inprimis cum supponat simpliciter contractantes antea de re & pretio convenisse, quo casu modificatio postea accedens perfectionem actus antecedentem in dubio non tollit (§. II.)

## §. XXIV.

Ex pacto additionis in diem sub conditione resolutive inuito oritur nuda saltem actio personalis venditi adversus emtorem ad rem restituendam, si scilicet paciscentes verbis usi sunt, restitutionem indigitantibus. *Wo aber binnen 4 Wochen ein anderer mehr vor die Sache möchte geben wollen, so soll Käufer dieselbe wieder abzutreten gehalten seyn.* Præstat ergo, ut venditor caute acturus verba resolutionem ex tempore contractus inferentia adhibeat, *so soll der Kauf-Contract null und nichtig seyn*, item, quæ formula implicite nullitatem contractus continet, *so soll der Verkäufer die Sache zu vindiciren berechtiget seyn.* Quo pacto contra tertium possessorem, in quem forsitan emtor primus pendente

E. 2. con-

(h) l. 8. pr. ff. de per. & comm. rei vendita. CARPZOV P. 2. C. 26. def. 21. ibique præjudic.



condicione rem transtulit, vi domini ipso jure tunc in venditorem redeuntis experiri potest rei vindicatione (i), quin servitutes interim rei impositæ omnes, ipsæque hypothecæ irritentur. (k)

## §. XXV.

20) circa  
pactum de  
retroven-  
dendo.

Emtioni venditioni addi potest pactum de retrovendendo vel hac formula: *daß, wenn Verkäufer dermaleinst die Sache wieder haben wolle, Käufer dieselbe vor eben dem Kauf-Prezio ihm wieder abzustehen verbunden seyn solle und wolle, vel his verbis: daß solchenfalls es zu halten, als wenn niemahlen der Contract geschlossen.* Prior vero formula operatur saltem actionem personalem, posterior realem. (§. XXIV) Ergo etiam in pacto de retrovendendo casu priori contractus resolvitur ex nunc, casu posteriori ex tunc. (l)

## §. XXVI.

21) circa  
Legem  
Commis-  
sorium.

Pactum commissorium contrahentes nonnunquam ineunt: *Daß wenn der Käufer mit der Zahlung nicht zur gesetzten Zeit einhalten mögte, der Kauf null und nichtig seyn solle.* Neque tamen repugnat his etiam illud exprimere verbis, *daß in solchem Fall Käufer die Sache wiederum zu restituiren schuldig und gehalten seyn solle.* Quid igitur obstat, quo minus dicamus, quod existente conditione casu priori detur venditori actio realis, quæ casu posteriori ei denegatur, salva saltem actione venditi contra emtorem ejusque heredes. (§. XXIV) (m)

(i) arg. l. 4. C. de pact. inter emi. & vend. l. 5. & ult. ff. de Leg. Comm.

(k) l. 31. ff. de pignor.

(l) STRYCK de caut. contr. Sect. 2. c. 8. §. 55. CARPZOV P. 2. C. I. def. 17. n. 7. BRUNNEM. ad l. 13. ff. de Pignor. act. n. 2. 3.

(m) l. 3. C. de pact. inter emi. & vend. G. A. STRUVIUS *Synagm. Jur. Civ. Exerc. 23. tb. 37.*



## §. XXVII.

Legum in numero habenda esse privilegia docuit JUSTINIANUS iis Principum placitis, quæ legis nomine veniunt, ea accensens. (n) Et qui fieri aliter potuit, cum definitio legis, quæ est, ut sit norma a superiore civibus præscripta, secundum quam actiones instituere debent, privilegiis conveniat. (o) Quid ergo magis naturale, quam, ut privilegia pari cum legibus passu ambulent, adeoque etiam legum instar (p) a Principe revocari possint. Instat quidem communis Doctorum cohors (q), distinguenda esse privilegia gratis concessa ab onerosis, ita ut illorum revocatio sit licita, horum illicita ea propter, quod titulo oneroso quæsitæ revera conventionem concedentem inter & acquirentem complectantur. Quin novissime illustris Dn. GEORG. CHRISTIAN. GEBAUERUS, Vir eximie eruditionis, etiam privilegia absque datione impetrata ex pacto venire statuat, sive Princeps beneficium offerat, acquirens acceptet; sive hic preces fundat, concedens annuat, postquam voluntatum facta unio, pactum exsurgere, & gratuitum etiam duorum in idem placitum consensum esse conventionem asserens. (r) Quæ tamen omnia nobis dubia videntur. Fatemur pacta etiam a Principe esse servanda, remota omni revocatione. Nec negamus admittere concessio-

E 3

(n) §. 6. *Insp. de jur. Nat. Gent. & Civil. l. 1. §. 2. ff. de const. Princ.*(o) CHR. L. B. de WOLFF in *Jur. Nat. P. 8. §. 854*

(p) l. 32. §. 1. in f. ff. de legib. l. 2. C. qua sit long. consuet.

(q) J. G. SCHAUMBURG de natur. privil. tam grat. quam convent. §. 22.

MYLER ab EHRENBACH de Princip. &amp; Statib. Imp. Rom. Germ.

P. 2. C. 49. §. 10. S. STRYCK de privil. cir. oner. quæst. c. 3. §. 4.

J. A. FROMMAN de revoc. privil. licit. ib. 17.

(r) G. C. GEBAUERUS in *singul. de privileg. p. 86.*



cessionem privilegiorum tam gratuitorum, quam onerosorum hanc interpretationem, ut in vim pacti valeant, sed dandum quoque nobis est hoc, quod fieri possit, ut illud concedenti in mentem non veniat. Quæ ergo est capienda interpretatio? Nos amplectimur eam, qua pactum excluditur, quippe quæ naturæ privilegiorum, tanquam legum, quæ per modum pacti condi non solent, magis est consentanea, contra eum autem facere nos oportet interpretationem, qui aliquid præterdit, quod est contra negotii naturam. (§. IX.) Et idem hoc implicite indigitare nobis videtur BONIFACIUS VIII. (s) quod DECEAT concessum a Principe beneficium esse mansurum, saltem suadens. Fac enim cives pro impetranda lege aliqua fundere preces & Principem annuere, an ideo hic jure suo legem hanc abrogandi excidat? Fac porro offerri pretium, an forsân Princeps tunc concedendo vel legem vel privilegium exiit personam legislatoris? Nonne idem est, utrum cives ministerio Consiliariorum Principis sui utantur, ut finem obtineant, an pretium sit medium eum commovendi? Quis Principi negabit eam facultatem, vi cujus officiales suos dimittere ipsi licet, eos dimittendi, qui dato pretio officium sunt consecuti (ss)? Et annon feuda emta eodem modo revocationi sunt obnoxia, quam quidem data? (t) Ipsæ leges nostræ, honorarium contractui accedens ejus non mutare naturam, aperte loquuntur (u). Consensus nimirum duorum vel plurium in idem placitum in iis saltem causis constituit pactum, quas per

(s) c. 16. de reg. juris in 6.

(ss) MYLER ab EHRENBACH in hyparch. c. 3. §. 23. n. 102.

(t) CHRIST. HANACCIUS de eo quod refert feudum esse dat. vel oblat. c. 3. §. 46.

(u) l. 6. pr. ff. mandat.



per modum pacti inire solemus, exclusis reliquis, quæ voluntatum unionem non desiderant, cum, quæ ad essentiam negotii non desiderantur, expressa eandem mutare non possint (x), nisi ibidem evidenter de alia, & hac eorum mente sese per modum pacti obligandi appareat. Rogat Lucius, ut Titius ipsum heredem faciat. Condit Titius testamentum, & Lucium heredem instituit. Quis inde pactum hic adesse revocationem testamenti excludens evincet (y)? Magna itaque circa electionem vocabulorum in Codicillis privilegiariis opus est cautione. Salva ubique manet atque illibata revocandi privilegia tam gratis quam pretio quæsita concedenti, ejusque successoribus licentia (z), nisi verba aperte animum Principis per modum pacti sese obligandi præ se ferant, id quod fit, si formulæ pactis propriæ adhibentur, *kund und zu wissen sey hiemit, daß heute unten gesetzten dato nachfolgende Verabredung &c. item, daß wir dahin mit demselben einig geworden*, vel si reciprocarum præstationum, quas sibi stipulatus fuit concedens, exprimentur; quod secus, si ejusmodi dictiones desunt, & verbis usus est, quæ unilateralem tantum declarationem produunt.

## §. XXVIII.

Interest hoc maxime privilegium reale inter & personale, quod hoc a persona, cui concessum, separari non possit & cum eadem exspiret, consequenter ad heredes non transeat, istud vero rei inhæreat, & cum eadem ad quemcunque transferatur possessorem, eousque durans, donec res ipsa

(x) l. 28, C. de testam.

(y) arg. l. 38. §. 3. ff. de legat. 3.

(z) HOBBIUS de civi c. 6. §. 13 seqq. BODINUS de Republ. L. I. c. 8. GEBH. CHRIST. BASTINELLER de privil. collis. §. 2.



ipsa existet (a). Sed quænam sit nota characteristicæ privilegii realis vel personalis, ad nostram pertinet disquisitionem. Convenit hoc juris nostri rationibus, ut ex subjecto, ad quod verba sunt directæ ipsum æstimetur negotium. Quem fugit in legato generis, si verba ad legatarium directæ, electionem quoque ad eum spectare (b), quæ est heredis, si ad hunc sunt verba directæ (c)? Et quætionem, utrum legatum liberationis ad heredes transeat, ipsi definitivimus præeunte POMPONIO, distinguentes, an legatum personæ an vero rei cohæreat? (§. VII.) Ut adeo reale quoque audiat privilegium, quando verba privilegii personæ cohærent, personale vero, ubi verba privilegium constituentia ad personam directæ, fundus licet privilegiatus insimul sit nominatus. Prius fit, quando Princeps, *daß des Sempronii Guth Tusculanum Contributions frey seyn solle*, declarat, cum ad casum posteriorem referatur, quando hæc sunt adhibita verba, *daß Sempronius in Ansehung seines Guths Tusculanum Contributions-frey seyn soll*.

## §. XXIX.

Æque ac 24) ad quosnam personale transit heredes, si alicui & ejus heredibus datum?

Interpretatio facienda de eo, de quo verosimiliter fuit cogitatum. (§. X.) Enimvero quando de persona & ejus heredibus loquimur, ea & ejus descendentes animo nostro obversantur, teste experientia. Quamobrem, cum privilegium metiendum sit ex voluntate concedentis (d), privilegium non intelligitur concessum nisi descendentibus (e), imprimi-

(a) l. 68 § 196. ff. de Reg. Jur. l. 1. §. 43. ff. de aqu. quotid. & æstiv. l. 4. §. 3. ff. de censib.

(b) l. 2. §. 1. ff. de optio. vel act. legat. l. 37. pr. ff. de legat. 1.

(c) l. 45. §. 1. ff. de legat. 1. & l. 43. §. 3. ff. de legat. 2.

(d) l. 191. ff. de Reg. Jur.

(e) dissentit absque ratione sufficiente J. B. de WERNHER P. 8. obs. 424



imprimis cum privilegia sint strictissimæ interpretationis (f), adeoque vocabulum heredis in privilegii interpretatione in strictissimo significato quem habere potest, sit sumendum. Jam vero porro, si jura personalia per pactum fiunt ad heredes transitoria, de heredibus primi gradus hoc saltem est accipiendum (g) Ergo privilegia personæ & heredibus data heredibus primi gradus saltem data intelliguntur. (h) Quod secus, si loco vocabuli *der Erben* substituta vox *Nachkommen*. Cum enim, quando loquimur de posteris, non possint non omnes illius personæ, cujus posterorum facta mentio, descendentes cujuscunque gradus nostro obversari animo, atque tamen jus privilegiarii ex voluntate concedentis sit dijudicandum, (*per priora*) tunc, ubi vocabulum *der Nachkommen* adhibitum in concessione privilegii, perpetuum hoc est & ad omnes cujuscunque gradus privilegiati descendentes transit. (i) Ubi tamen iterum monendum, interdum privilegia extendi solere ad successores privilegiati sub voce *der Nachfolger*, qui dicuntur illi omnes, qui vel hereditario vel singulari jure rem accipiunt, sive sint descendentes, sive alii. (k)

## §. XXX.

Ex diversitate subjectorum, ad quæ verba, quæ ipsum 25) circa constituunt negotium, sunt directa, natura ipsius negotii verba quibus est æstimanda. (§. VII. & XXVIII). Hypothecam autem distincta pro- cimus securitatem, quæ alteri in bonis nostris competit, mittitur. ut

F

ut

(f) l. 14. 15. 16. ff. de Legib. l. 2. §. 10 &amp; 16. ff. ne quid in loc. publ.

(g) l. 14. C. de usufr. l. 38. §. 12. ff. de V. O.

(h) J. B. de WERNHER. P. 1. obs. 271.

(i) l. 4. ff. de jure immunitatis.

(k) l. 7 &amp; 8. ff. de jurejur. l. 1. §. 3. ff. quod legat.



ut ipsi exinde satisfiat. (l) Ad hypothecam ergo constituendam non quælibet verba securitatem indicantia sufficiunt, *Er wolle dafür haften*; item *Er wolle dem Creditori, ihn zu aller Zeit anzugreifen, freye Macht und Gewalt geben, er verspreche dem Creditori alle Sicherheit*, quippe quæ ad personam promissionis directæ, adeoque magis ad obligationem personæ, quam rerum referre oportet; verum talia requiruntur, ex quibus apparet, consensisse debitorem, ut res suæ creditori securitatem illam præstent (m), id quod fit, si verba illa ad bona dirigantur: *Seine Güter solten dafür haften, oder von dem Creditore angegriffen werden können, nec non, es solle der Creditor alle Sicherheit in seinen, des Debitoris, Güter haben.*

## §. XXXI.

26)  
circa sententiam in criminalibus absolutoriam.

Ast non soli causarum sunt Patroni, quibus sollicita vocabulorum electio curæ cordique esse debet. Ipsis Judicibus magnopere commendanda est hæc cautio in ferendis sententiis suis & decretis. Exemplum præbent sententiæ in causis criminalibus absolutoriæ. Si inquisitus innocentiam suam probavit per ocularem inspectionem, per testes, per torturam vel etiam per juramentum purgatorium, elisa sunt indicia contra eum in hoc judicio militantia, ita ut, si propter nova supervenientia iterum inquisitioni subiciatur, nullo modo eorum ratio amplius habenda, eamque ob causam pronuntiari debeat, *daß Inquisit von der wieder ihn angestellten Inquisition zu entbinden.* Cum e contra hæc sententiæ formula: *daß wieder Inquisiten ferner nichts*

(l) *l. ult. C. qua res pign.*

(m) ULR. HUBERUS *in Praelect. ad ff. tit. de Pignor. §. 1.*  
Dn. de LEYSER *Spec. 223, Med. 3.*



*vorzunehmen, sondern derselbe der gefänglichen Haft hinweg  
zu erlassen,* indicium fit, ex defectu sufficientium indicio-  
rum saltem ab instantia absolutum esse inquisitum, ita ut  
tunc causæ retractatio locum habeat, & si novæ suspiciones  
contra reum emergunt, priora indicia resuscitari & simul  
in subsidium vocari possint. (n) Caveat ergo Judex, quo-  
minus priorem adhibeat formulam, ubi inquisitus saltem  
ex defectu indiciorum ad condemnandum, vel medium  
eruendi veritatem decernendum sufficientium dimissus fuit,  
ne, si nova superveniant indicia, ratione priorum opponat  
exceptionem rei judicatæ, etiam in criminalibus reis com-  
petentem. (nn) Caveat vero etiam, ne in injuriam inquisiti  
posteriori utatur in sententia locutione, qui omnia indicia  
hactenus contra eum militancia sustulit, peracta probatione  
per testes, per torturam, per juramentum vel per aliam  
probationis speciem. Quamquam enim non desint, qui  
negant, inquisitum qui vel torturam sustinuit, vel jura-  
mentum præstitit, definitive esse absolvendum (o), horum  
tamen sententiæ subscribere non possumus, cum torturam  
& juramentum speciem esse probationis, nemo forsan in  
dubium sit vocaturus, nisi, qui probationem esse actum  
judicalem, quo Judici de veritate rei controversæ fiat fi-  
des (p), in dubium vocat, ut adeo, quo modo reus in ci-  
vilibus definitive absolvitur, si per reprobationem elidit  
proba-

F 2

- (n) J. F. LUDOVICI de probabil. ejusque effect. c. 2. §. 22.  
 (nn) c. 6. X. de accusat. KRESS ad art. 99. Const. Crim. STRAUCHII  
 Amoenit. Jur. Can. I. c. 5.  
 (o) TABOR de confront. p. 96. BRUNNEMAN Proc. Inq. c. 9. n. 1.  
 ZANGER de quest. c. 5. n. 2. MYNSINGER Cent. 5. obs. 12.  
 (p) l. 3. §. 2. ff. de testib.



probationem actoris, eodem modo reum in criminalibus, peracta reprobatione per juramentum vel torturam, definitive absolvere oporteat (q).

## §. XXXII.

Conclusio  
dissertatio-  
nis.

Verum quot nobis superessent exempla, ubi vel Judices vel Advocati omittendo cautionem circa verba juridicam pessime se dederunt? Ipsi in publicis negotiis confecti pacis & alii codicilli perhibent testimonium, quantum parum provida vocabulorum electio quandoque producere potuit malorum. Sed manum de tabula. Sufficiat nobis, vitam civilem agentibus, quantum in privatorum negotiis intersit sapius inter synonyma, quæ vel vere vel apparenter talia sunt, ostendisse; & quod restat, ei, abs cujus auspiciis cujuslibet nostri laboris principium, medium & terminus dependet, juxta Novellam CIX. præf. æternas decimus laudes, nimirum

## SOLI DEO GLORIAM.

- (q) GRANZII defenf. inquis. P. 2. p. 10. n. 30. THEODORICUS in colleg. crim. disp. 9. th. 11. lit. d. CARPZOVII Prax. crim. quæst. 125. n. 10 seqq. S. F. WILLENBERG de innoc. per tortur. purgat. C. 3. §. 2. Z. CRAMER. de tortur. §. 6.





VIRO JUVENI NOBILISSIMO  
DOMINO  
HENNINGIO FRIDERICO SEELHORST  
S. & O.  
AMANDUS CHRISTIANUS DORN, D.

**O**brutus quamvis negotiorum multitudine, quæ ex utroque munere clementissime mihi demandato in me redundant, non tamen potui honesto & omni laude digno desiderio Tuo, quid valeant vires, publice in cathedra juridica experiundi, deesse. Quin nec sine magno jucunditatis sensu TE in publicum producam, scientiæ, indefesso studio partæ, specimen daturum, qui ab initio nostris in Athenis & artibus, quæ ab humanitate nomen acceperunt & justis atque injustis scientiæ, me quidem duce, operam dedisti, postea vero in Academia Jenensi Præceptores nactus fuisti Viros in Jure & Philosophia celeberrimos, ENGAVIOS, DARRIESIOS, GNÜGIOS, SCHMIDIOS, STENGEROS. Gratulor itaque TIBI de absolutis hisce laboribus. Gratulor PARENTI Tuo, Viro summe reverendo, Fautori atque Amico meo maximopere colendo, de filio rei bene gestæ documentum exhibente; spe fretus certissima, fore, ut, quod cepisti institutum, constanter teneas, & usu exercitationeque perficias atque hoc consecutus de patria bene merearis. De meo sane in TE studio persuasum Tibi habeas velim, nihil mihi prius, nihil jucundius esse futurum, quam si Tibi cuncta, quæ ad augendam felicitatem Tuam pertinere putabis, ex voto evenire animadvertam. Dabam Kilizæ Holfatorum d. XXV. Jul. A. P. R. S. MDCCL.

---

**P**ierii felix SEELHORSTI, montis alumne,  
quem Musæ studiis excoluere suis.  
Qui solers almæ coluisti sacra Themistos,  
quem juris sancti ducit honestus amor.  
Pars animæ jucunda meæ, quem contigit ore  
artibus ingenuis erudiisse mihi.  
Non assentator peragam præconia longe  
nobilis ingenii carmine multa TUI.  
Laudari nimium sincera modestia non vult,  
ingenuusque pudor pectora casta decet.

Fausta



Fausa dies, qua TU cathedram conscendis amice  
digna feret, studii præmia, crede, TUI.  
Primitiis liceat gaudens applaudere doctis,  
& festum lætus concelebrare diem.  
Non edo fictos hilari de pectore plausus,  
quos motus vere sentio, prodo TIBI.  
TU Doctore TUO dignus, TE dignus & ipse  
DORNIVS, ille, Decus, præsidiumque meum.  
TUQUE redux patriam, Salanis cultus Athenis  
eludis Momum sedulitate TUA.  
Gratulor aonias curas, seriesque laborum,  
Gratulor ingenium non latuisse TUUM.  
Gratulor egregios Patriæque, TIBIque futuros  
fructus; an Musas Te coluisse piget?  
Maecte! O SEELHORSTI, sis castus juris amator,  
ad Musas doctam carpere perge viam.  
Inclÿta juridicæ penetres sacraria Divæ,  
atque pia leges relligione colas.  
Et consultus eris juris, themidosque sacerdos  
magnaque juridici pars eris ipse chori.  
Interea semper mansuetis utere fatiis,  
sis fortunatus, auspice cresce Deo.  
Vive, TIBI vultum seruet fortuna benignum  
sis memor usque mei, vive diuque Vale.

Viro juveni Præstantissimo & Prænobilissimo  
HENNINGIO FRIDERICO SEELHOR-  
STIO, LL. cultori doctissimo, Fautori atque  
amico suo æstumatissimo, faustissima quæ-  
que apprecatus pauca hæc memoriæ,  
amoris & observantiæ ergo scribebat

Bordesholmi.  
VIII. Cal. Aug. MDCCL.

PH. A. DREYERUS,  
Past. Bordesh.

OS (O) SO



ULB Halle  
004 094 174

3



f.

sb.











4.

DISSERTATIO JURIDICA 1750,1  
DE  
INTERESSE  
SYNONIMORUM  
IN FORO, 10

P 495

QVAM  
D. O. M. A.  
SECUNDUM  
CONSTITUTIONEM FRIDERICIANAM,  
PRÆSIDE  
AMANDO CHRISTIANO DORN, D.  
CÆSAREÆ CELSITUDINIS, MAGNI DUCIS ET IMPERII RUTHENICI HEREDIS IN CANCELLARIA DUCALI SLESVICO-HOLSATICA  
CONSILIARIO JUSTITIÆ, JURIS CANONICI ATQVE CIVILIS ROMANI PROFESSORE ORDINARIO, H. T. FACULTATIS  
JURIDICÆ DECANO,  
IN ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA  
D. XXV. JUL. ANNI MDCCL.  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
HENNING. FRIDERICUS SEELHORST,  
HOLSATUS.

KILLÆ HOLSATORUM, LITTERIS GOTTFR. BARTSCHII,  
ACAD. TYPOGR.

